DEO EXERCITUUM

A QUO HUMANA POTESTAS GLADIUM HABET, QUO IN IMPROBOS ANIMADVERTAT

PACIS AUCTORI, VICTORIÆ ARBITRO

QUI À SE RECEDENTES BELLO PUNIT, ET IN SE SPERANTES MISERICORDIA FOVET

REGI REGUM, DOMINO DOMINANTIUM

OMNIPOTENTI, MAXIMO, AETERNO.

SUBJECTAS THEOLOGIÆ PROPOSITIONES

IN HISPALENSI SANCTI PAULI CŒNOBIO DIEBUS XVIII. ET XXI JANUARII M. DCC. XC. IV.

PRÆSIDE R. PATRE FRATRE FRANCISCO ALVARADO

THEOLOGIÆ PROFESSORE PROPUGNANDAS.

PATER FRATER ANTONIUS GARCIA

EJUSDEM CŒNOBII RELIGIOSUS ALUMNUS.

D. O. S.

1 MUlta sunt quæ de Bello pleno jure sibi vendicat Theologus. Ut ergo ex iis aliqua publicæ disputationi subjiciamus, exponimus imprimis propugnandam Quæstionem 40. 2. 2. partis D. Thomæ Aquinatis à cujus placitis Religioni ducimus ne latum quidem unguem recedere. Huic sequentes propositiones adnectimus, quas cum ejusdem Sancti Doctoris principiis maxime concordare credidimus.

2 Bellum quod ementita Gallorum Respublica universis fere Europæ Principibus indixit, injustum est defectu auctoritatis, iniquitate causæ, perversitate finis, immanitate modi.

3 Quisquis ad bellum istum cujuscumque generis auxilia seditiosis istis conferat hominibus, læthalis criminis Reus est, et obnoxius restitutioni, quin ulla possit ignorantia excusari.

4 Princeps quilibet potest uti bello adversus sibi rebelles subditos, quo eos, in officio contineat, et admissi sceleris pœnas sumat.

5 Potest item, imo etiam debet adversus eos arma ultricia movere si à Christo data fide deficiant, et ut male partam conscientiæ libertatem compescat.

6 Anno Domini 1572. die 24 Augusti Sancto Bartholomæo sacra multa Calvinianorum millia jussu Caroli IX. Galliæ Regis cæsa sunt. Hanc ne quissimorum subditorum stragem impii homines (quo suam nimirum causam agant) tamquam barbaram et iniquam traducunt; Catholici etiam aliqui piique Scriptores tamquam paulo duriorem reprehendunt. Nos autem aserimus, eam fuisse justissimam, et, ut posteriores eventus, præsertim hodiernus, probavere, necessariam.

7 Quod adversus sibi subditos quilibet Principi licere diximus, id ipsum etiam Socio Principi in auxilium vocato licitum esse asserimus.

8 At vero cum Christi nomen blasphemiis, aut persecutionibus impetitur, aut cum ea à seditiosis hominibus Politices, et Regiminis forma intentatur, qua socialis ordo pervertitur, et periculum reliquis Rebus publicis creatur, tunc sive vocatus, sive non vocatus bellum gerere potest, et tenetur.

9 Hinc bellum quod Clementissimus Hispaniæ Rex Carolus IV. adversus Gallos gerit non solum justum, sed necessarium est.

10 Quisquis ex nostris eo bello pugnans corruerit pietatis et Religionis gloriosa hostia cadet.

11 Tenemur Catholicum Principem nostrum hoc bellum gerentem omnibus, quibus possimus, auxiliis juvare et quia Cives, et quia Christiani sumus.

12 Ecclesiæ proventus, et thesauri à Viris Ecclesiasticis in hujus belli usum sanctisime, et justissime impendentur.

13 Licet hoc apud Christianos perpetua sit cautum consuetudine, ne qui Christo nomen dederunt, bello capti, mancipia fiant, Galli tamen milites hoc merentur exui privilegio.

HISPALI: Apud Emmanuelem Nicolaum Vazquezium, et Viduam Antonius Hidalgum, habita Judicis licencia et Regii Censoris approbatione.